AUTHOR:

VOLKMANN, LOTHAR

TITLE:

ANALECTA THESEA

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

[1880]

Master Negative #

92-80846-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET


Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


 Volkmann, Lothar 1858- Dissertation
Analecta Thesea
Halle 1880

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-1-92 INITIALS wDE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202

Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

ANALECTA THESEA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS PROPOSITIS
DIE XX. M. JAN. A. MDCCCLXXX.
HORA XII.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
LOTHARIUS VOLKMANN 1858-
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT
J. DAEHN, CAND. PHIL.
W. VOLKMANN, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM.
(TYPIS H. VAILLANT. JAVORIAE).

RICARDO VOLKMANN

OPTIMO PATRI

PIO GRATOQUE ANIMO

AUCTOR.

Prooemium.

‚Ad ipsam mythologiae, inquit Hermannus[1]), Graecorum explanationem cum duplex via pateat, eam plerique omnes ingressi sunt, ut, quoniam ex orientis regionibus omnis ista doctrina derivata est, quidquid de Indorum, Phoenicum, Aegyptiorum aliarumque gentium sapientia compertum habemus, ad Graecas fabulas applicarent. Unde quanta perturbatio orta sit mythologiae quantaque dissimillimarum rerum permixtio atque confusio satis inter omnes constat[2]). Multo rectior, ut mihi videtur, altera via est, quae versatur in eo, ut exclusis, quae ab aliis gentibus probata fuerunt, illa, quoad fieri potest, persequamur, quae a Graecis ipsis sunt tradita, quorum cum nihil habeamus quod Homero Hesiodoque antiquius sit, ab his omnis ista ordienda videtur disputatio.‘

Quam quidem rationem recentiores multi[3]) qui operam dederunt fabulis explanandis, inierunt ita quidem, ut non id quaererent, in quibus fundamentis physicis positae essent fabulae, sed satis haberent demonstrare, quae fuerint genuinae earum formae quaeque poetarum commenta. Collectis igitur testimoniis persecuti sunt fabulas per epicos lyricos scaenicos poetas.

Nos quidem hanc viam ingredi instituimus ad explanandam fabulam Theseam. Etsi enim illis studiis non pauci se dediderunt, nemo adhuc, quod sciam, ea ratione de Theseo scripsit.

---

[1]) De mythologia Graecorum antiquissima dissertatio. opusc. II. p. 168.

[2]) Id longe aliter se habere, ex quo communis Graecorum aliarumque gentium origo certa ratione patefacta sit, vix est quod moneam.

[3]) Velut F. W. Schneidewin, die sage von Oedipus. abhandlungen der königl. gesellschaft der wissenschaften zu Göttingen. V. Kekule, de fabula Meleagrea, Berolin. 1861. alii.

Quamquam satis aperta et expedita via ad hanc potissimum fabulam tractandam videri potest. Etenim cum Plutarchus in Thesei vita fabulas Theseas collegit et disposuit, tum Meursius admirabili, qua uti solebat, diligentia copiaque lectionis fere omnia quae apud alios scriptores ad Theseum pertinentia leguntur conquisivit atque adiunxit Plutarcheis, denique nuper Stephanius libro suo cui inscriptum est: ‚der kampf des Theseus mit dem Minotaurus, eine kunstgeschichtliche abhandlung von Ludolf Stephani, Leipzig 1842' accuratissimam totius fabulae descriptionem praemisit. Accedit quod artificum quoque opera ad Theseum spectantia maiore ex parte collata et usui commoda facta sunt. [1])

Quamvis igitur, ut modo dixi, his studiis patens apertaque via videatur, tamen ex altera parte haec imprimis fabula interpreti summas praebet difficultates et negotia. Ab aliis enim fabulis velut a Meleagrea et Oedipodea ab omni parte diversa est. Siquidem, ut imagine utar, illae singulis arboribus similes sunt, Theseam arborum silvae comparare licet. Illae enim quamvis poetarum inventis in omnes partes amplificatae et permutatae tamen unum quoddam continent atque in una tantum actione posita sunt, Thesea autem non unam fabulam sed multos fabularum connexus amplectitur, quae non nisi Thesei persona coniunctae et in corpus redactae sunt, quasque separatim et pro se quamque exponi oportet. Paene innumerabilis autem est copia fabularum, quas Atheniensium cum pius animus tum gloriae cupiditas in Theseum congessit, ita ut iure proverbia illa: *ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς* [2]) et *οὐκ ἄνευ Θησέως* [3]) in omnium ore essent.

Quae cum ita sint, nobis in animo non est totam hanc fabularum multitudinem ea quam proposuimus ratione disponere. Sed quas tractandas eligamus non sumus incerti. Discedunt enim in duo genera fabulae Theseae. Quorum alterum fabulas amplectitur

---

[1]) Praeter Stephanium nominandi sunt: O. Jahn, archaeol. beitraege. Berol. 1847. pp. 251—299: Theseus und Ariadne, pp. 300—330: Hippolytos und Phaidra. — A. Kluegmann, die Amazonen in der Attischen literatur und kunst. Stuttgart 1875. alii quorum suo loco mentio fiet.

[2]) Plut. Thes. 29. De diversis horum verborum explicationibus cf. Leutsch ad Diogenian. I. 63.

[3]) Plut. ibid. Suid. s. v. *οὐκ ἄνευ γε Θησέως*. Zenob. in paroemiogr. Graec. edd. Leutsch et Schneidewin I. p. 132.

Thesei proprias (quarum numerus minor est), alterum eas continet, quae ab aliis heroibus ad Theseum translatae sunt. Quae quidem incrementa, ut ita dicam, tractari non possunt nisi ratione habita earum, e quibus orta sunt, fabularum. Velut ea, quae de Theseo et Medea tradita sunt, melius in fabularum ad Medeam pertinentium, quae de Theseo et Antiopa, aptius in fabulae Amazonicae [1]) enarratione tractantur. Nobis autem, qui de genuina fabula Thesea ratione tractantur. Nobis autem, qui de genuina fabula Thesea eiusque principiis acturi sumus, ea exponenda erunt, quae priore loco commemoravimus: fabulas dico de Ariadna atque de Pirithoo. Ad Pirithoum autem pertinet cum fabula de amicorum ad inferos descensu tum fabula de rapta per illos Helena. Quarum narrationum vestigia iam in Homericis carminibus inveniuntur.

I.

De Theseo et Ariadna fabula.

Huius fabulae fons atque principium est in Odysseae Necyia (XI) quae dicitur inde a vv. 320 sqq., ubi Ulixes narrat se vidisse apud inferos:

(Φαίδρην τε Πρόκριν τε ἴδον) καλήν (τ') Ἀριάδνην
κούρην Μίνωος ὀλοόφρονος, ἥν ποτε Θησεὺς
ἐκ Κρήτης ἐς γουνὸν Ἀθηνάων ἱεράων
ἦγε μέν, οὐδ' ἀπόνητο· πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔκτα [2])
Δίῃ ἐν ἀμφιρύτῃ Διονύσου μαρτυρίῃσιν.

His quidem versibus Atticorum interpolationem contineri negari vix potest. Recte enim Nitzschius [3]) de hac re monuit utramque heroinam, quae in primo versu commemoretur praeter Ariadnam, et ipsam depromptam esse ex fabulis Atticorum. Eodem spectat Minois epitheton *ὀλοόφρων*, quippe quod, ut infra accuratius

---

[1]) Quod fecit Kluegmannus in libello citato.

[2]) In scholiis adnotatur: *Ἀριστοφάνης γράφει Ἄρτεμις ἔσχεν* atque extat haec lectio in compluribus codicibus cf. La Roche ad h. l. Recte eam reiecit Nitzschius, anmerkungen zur Odyssee III. p. 254.

[3]) Cf. Nitzsch, anmerkungen III. p. 22.

docebo, plane abhorreat a Minois persona qualis apud epicos describitur.

Alia quaestio ea est, utrum versus supremus postea adiectus sit necne. Duo quidem urgenda sunt et indicare quodammodo videntur posteriori tempori eum tribuendum esse quam ceteros. Primum enim Bacchi dei perpaucis tantum locis Homericis mentio fit eisque, quos iam veteres aut ut per se suspiciosos aut ut suspiciosis interpositos in dubitationem vocaverunt [1]). Deinde autem vel in his ipsis locis inaudita forma est *Διόνυσος* secunda syllaba correpta, omnibusque *Διώνυσος* legitur [2]). Attamen cum omnino de totius loci interpolatore quid statuendum sit nesciamus, nihil certi ex his colligi potest de temporis ratione, quae intercedat versus priores et extremum.

Fabula igitur, quae inest in his quinque versibus, ita se habet: Theseus e Creta insula secum ducit Ariadnam filiam Minois rediturus Athenas in patriam. Sed itinere nondum perfecto a Diana in Dia insula necatur Ariadna et *Διονύσου* quidem *μαρτυρίῃσιν*.

Hanc narrationem secutus interfectam esse Ariadnam Dianae sagittis postea Pherecydes tradidit, [3]) praeterea speculis duobus Etruscis insculptam esse huius exitus repraesentationem constat. [4]) Sed quid sibi volunt verba *Διονύσου μαρτυρίῃσιν*? Ut primum audiamus veterum opiniones, sic interpretata sunt scholia: *καταμαρτυρίαις κατηγορίαις· ἐπεὶ ἀσέβειαν αὐτῆς κατεμαρτύρησεν ὡς ἐν τῷ ἄλσει* (*ἐν τῷ τεμένει* schol. V.) *μιγείσης τῷ Θησεῖ*. [5]) Recte Nitzschius [6]) opposuit hoc nihil esse nisi scholiastae inven-

[1]) De hac re cf. Lobeck, Aglaoph. p. 286. Ceterum num recte Nitzschius inde collegerit (anmerkungen III. p. 42) omnino Liberi dei notitiam non habuisse Homerum, perdubium est. Cf. K. Voelker in museo Rhenano 1832 p. 191. O. Müller in: Goettinger gelehrte anzeigen 1825 p. 377. C. Fr. Hermann, culturgeschichte der Griechen und Römer I. p. 65

[2]) Observatum id est iam a veteribus. Cf. E. M. 280. 6: *Διώνυσος. κατ᾽ ἔκτασιν. ἀεὶ δέ ἐστιν ἡ ἔκτασις* (*Ἡρωδιανός*) *παρὰ τῷ ποιητῇ διὰ τοῦ ω μεγάλου καὶ τοῦ υ μακροῦ ὡς τὸ Διωνύσοιο τιθήνας καὶ Διώνυσος δὲ φοβηθείς*. (Il. Z).

[3]) Schol. ad Odyss. *λ*. 320. vide etiam Pausan. II. 23. 8.

[4]) O. Jahn, archaeol. beiträge, p. 279. L. Schmidt, Arianna rapita da Diana in: annali dell' instituto di correspondenza archeologica, XXXI. 1859 p. 258 sqq.

[5]) Idem habet Eustathius.

[6]) Nitzsch, anmerkungen III. p. 252.

tum ex ipsis poetae verbis haustum. Nullo enim alio loco eiusmodi aliquid narratur neque umquam in ore hominum fuisse omnino probabile est. Nam si Theseus non minus atque illa locum sanctum violasset (quod quidem statui debet, si scholiastam sequimur), intellegi plane non posset, cur sola Ariadna ab irato deo punita esset.

Nec quidquam proficimus ex Boettigeri [1]) coniectura, qui illud *Ἄρτεμις ἔκτα* ad velocem [2]) Ariadnae mortem, dum gravida esset, pertinere censebat. Cum enim inter permulta, quae de Ariadnae exitu narrabantur, etiam traditum sit eam ad pariendum temporibus peractis non pertulisse puerperae dolores sed diem obiisse supremum, haec cum scholiastae adnotatione coniungens Boettigerus poetam in mente habuisse suspicatus est istam fabulam: ‚Als Theseus in Naxos landete, überfielen plötzliche geburtswehen seine treue begleiterin die Ariadne. Eine heilige grotte mit epheuranken und weinstöcken umschattet empfing die hilfsbedürftigen. Aber Bacchus zürnte dieser entweihung seines heiligthums, und auf sein zeugniss tödtete Artemis die frevelnde.‘

Non, inquam, probabile videtur. Etenim fabula de Ariadna ex partu mortua inter Cyprios [3]) solum divulgata erat neque, ut facile apparet, pura et genuina fabula est. Nam ex eo quod Plutarchus adiecit: *καλεῖν δὲ τὸ ἄλσος Ἀμαθουσίους, ἐν ᾧ τὸν τάφον δεικνύουσιν, Ἀριάδνης Ἀφροδίτης*, vides referendam esse hanc fabulam ad mores ritumque Cypriorum religionis [4]). Praeterea autem fieri non potest, quin Boettigeri coniecturae idem scrupulus obiciatur, quem scholiastae narrationi obiecimus, nempe non intellegi, cur Bacchus Ariadnam solam poenas solvere voluerit, cum Theseus, quippe qui eam ad antrum duxisset, et ipse particeps esset peccati.

[1]) C. A. Boettiger, archaeol. museum. Weimar 1801. I. p. 4 sqq.

[2]) Cf. Eustath.: *ἔοικε δὲ ἡ γυνὴ αἰφνιδίῳ θανάτῳ ἀπαχθῆναι τοῦ ζῆν....... καὶ δηλοῖ τὸ τοῦ θανάτου ἀνεπαίσθητον ἡ ἐπιστατοῦσα τοῖς τοιούτοις Ἄρτεμις.*

[3]) Plut. Thes. c. 20. *ἴδιον δέ τινα περὶ τούτων λόγον ἐκδέδωκε Παίων ὁ Ἀμαθούσιος.*

[4]) Praeter Plutarchum cf. Movers, die Phönicier I. p. 641. Parum probabiliter de hac re disputavit Engel, Kypros II. p. 656 sqq.

Ne longus sim, recte explicasse de quibus agitur versus mihi videtur Prellerus [1]). Comparans enim fabulam de Coronide, quae Apollini summa necessitate coniuncta, cum mortalis viri amorem praetulisset, a Diana interfecta est, inde collegit similem verbis Homericis subaudiendam esse fabulam.

Vetustior igitur statuenda videtur fabulae forma posteriori plane contraria haece: Ariadna, priusquam cum Theseo rem habuit, Bacchi uxor aut amata erat. Missa faciens quae ex nomine Ἀριάδνη colligi possint [2]) de eius origine divina, equidem loco potissimum commoveor, qui extabat in Cypriis, ut plane cum Prellero consentiam. Proclus [3]) enim in huius carminis argumento haec narrat: *Νέστωρ δὲ ἐν παρεκβάσει διηγεῖτο αὐτῷ* (sc. *Μενελάῳ*) *ὡς Ἐποπεὺς φθείρας τὴν Λύκου θυγατέρα ἐξεπορθήθη, καὶ τὰ περὶ Οἰδίπουν καὶ τὴν Ἡρακλέους μανίαν καὶ τὰ περὶ Θησέα καὶ Ἀριάδνην.* Quae quidem, si inspicitur totus sententiarum connexus, recte explicuit Schneidewinus [4]): ‚Offenbar will Nestor den Menelaos aufrichten, indem er an leuchtenden beispielen zeigt, wie der bösen that, selbst wie bei Oedipus der unfreiwillig begangenen, die strafe der götter folge.' Ariadna igitur in hoc carmine poenas solvens inducebatur, quippe quae culpa non vacaret. Quaenam vero alia poenae illius causa cogitari potest, nisi quod Bacchi coniugis spreverit amorem et libidine incensa mortalem secuta sit hominem?

Denique si quaeritur de loco, unde oriunda sit haec fabula, Cretam fuisse statuemus. Primum enim eo pertinet nomen insulae Diae, quippe quae haud ita procul a Creta sita sit in conspectu litoris Cnosii. [5]) Tum vero Argis Pausanias (II. 23. 8.) narrat

[1]) Preller, griech. mythologie [3] I. 559 (533) id.: ausgew. aufsätze, herausg. v. R. Köhler. Berol. 1864. p. 293 sqq.

[2]) id. I. 558 (532). Hoeck, Kreta II. 144 sqq. G. Curtius, grundzüge der griech. etymol. [5] p. 706 adn.

[3]) Epicorr. Graecc. fgg. coll. G. Kinkel p. 18.

[4]) Schneidewin, Sage v. Oedipus p. 14. cf. Welcker, der epische cyclus II. p. 98.

[5]) Sine dubio haec insula ad Cretam sita propria est mythi Ariadnei (Bursian, geographie v. Griechenland II. p. 560). Quod quidem veteres cum senserunt, eo tamen errarunt, quod Diam fuisse nomen pristinum Naxi insulae sibi persuaserunt. (Schol. Apoll. IV. 425. *Καλλίμαχος ἐν Δίῃ· τὸ γὰρ ἔσκε παλαίτερον οὔνομα Νάξῳ* cf. Diod. IV. 61. V. 51.

Bacchi templum fuisse idque *τοῦ Κρησίου* nuncupasse Argivos propter Ariadnam ibi sepultam. Ex quibus elucet in plebis animo fuisse sensum quendam, quo connecterent Liberum Creticum cum Ariadna necata.

De varia autem, quae pro *ἔκτα* legitur, scriptura *ἔσχε* (quam voculam scholiasta idem significare atque *ἔκτα* perverse censet) sic iudicandum esse puto: Nisi hanc lectionem soli librariorum neglegentiae tribuere velis, is qui *ἔσχε* scripsit, id egisse censendus est, ut poetae eam Atticae fabulae formam tribueret, ex qua Ariadna non necata sed in Naxo insula retenta esse ferebatur.

Haec quidem de fabula, quatenus apud Homerum describitur. Jam vero, ut transeamus ad carmina Hesiodea, duo loci in has partes vocandi sunt. Ac primum quidem in Theogonia legitur inde a versu 947:

Χρυσοκόμης δὲ Διώνυσος ξανθὴν Ἀριάδνην
κούρην Μίνωος θαλερὴν ποιήσατ' ἄκοιτιν·
τὴν δὲ οἱ ἀθάνατον καὶ ἀγήρω θῆκε Κρονίων.

Quibus proponitur Ariadna secundum eam, quam nos primariam fuisse supra ostendimus, fabulam ut Bacchi uxor divina rebus humanis exempta. Num horum versuum poeta omnino compertum habuerit Ariadnae amorem erga Theseum in dubio relinquendum est.

Inter posteriores deinde erant qui Bacchum narrabant ex Ariadna suscepisse liberos velut Oenopionem, Staphylum alios. [1]) Ex

Schol. Theocrit. II. 45. Schol. Odyss. inepte dicit: *Δία νῆσος πρὸς τῇ Κρήτῃ, ἥτις νῦν Νάξος καλεῖται.* cf. Eustath.). Etenim altera insula ab altera alienissima est. Naxus, ut fertilitate agrorum imprimisque vitium cultura egregia (Steph. Byz. s. v. *Νάξος. ἐστὶν ἐκεῖ κρήνη, ἐξ ἧς οἶνος ῥεῖ μάλα ἡδύς.* cf. Diod. V. 52.), cultu Liberi fabulisque Bacchicis excolendis omnes insulas Graecas superavit ita quidem, ut pro propria et peculiari Bacchi insula haberetur (schol. Il. XXIII 92.). Postea igitur cum Atheniensibus arte coniuncti essent Naxii (Herodot. VIII. 46. Eurip. Ion. 1583.) neque minus Cretensibus (Schol. Apoll. II. 516. cf. Hoeck. II. 207.), factum est, ut fabulae Ariadneae in hanc insulam concurrerent. Ceterum, quantum ipse vidi, locus, ubi Ariadna deserta esse fertur, apud poetas fere semper Dia vocatur non Naxus. (Apoll. Rhod. IV. 434. *Εὐάνθης ὁ ἐποποιός* apud Athen. VII. 47. Quint. Smyrn. IV. 389. Catull 64. 121. Ovid. metam. VIII. 174. ars amat. I. 527. Naxi tamen nomen extat apud Nonnum Dionys. XLVII. 266. sqq.)

[1]) Schol. Apoll. Rhod. III. 997: *ἐξ ἧς παιδοποιεῖ Οἰνοπίωνα, Θόαντα, Στάφυλον, Λάτραμυν, Εὐάνθη, Ταυρόπολιν.*

quibus Oenopionem Ion Chius dixit Thesei filium fuisse, idemque alii de Staphylo contenderunt.[1]) Has vero recentiores fictiones esse facile apparet, nam si ex genuina fabula Thesei filii illi fuissent, unde illa nomina venissent intellegi nequiret. Duae igitur extabant fabulae, altera eaque vetustior, ex qua Ariadna cum Baccho amore vel matrimonio coniuncta a Theseo rapitur, altera recentiorum, ex qua Theseus Ariadnam nondum cum Libero coniunctam rapit raptamque relinquit in Dia insula. Quae quidem ab initio maxime diversae deinde inter se mixtae et tantopere perturbatae sunt, ut veteres non alio modo lucem afferre possent, nisi ut, quod saepius in eiusmodi rebus fecerunt[2]), duas Ariadnas fuisse statuerent, *ὧν τὴν μὲν Διονύσῳ γαμηθῆναί φασιν ἐν Νάξῳ καὶ τοὺς περὶ Στάφυλον τεκεῖν· τὴν δὲ νεωτέραν ἁρπασθεῖσαν ὑπὸ τοῦ Θησέως καὶ ἀπολειφθεῖσαν εἰς Νάξον ἐλθεῖν* (Plut. Thes. 20).

Plane aliam et ab omni parte diversam narrationem Hesiodeam Plutarchus[3]) nobis servavit. Dicit enim: *οἱ δὲ* (*φασιν*) *εἰς Νάξον ὑπὸ ναυτῶν κομισθεῖσαν Οἰνάρῳ τῷ ἱερεῖ τοῦ Διονύσου συνοικεῖν, ἀπολειφθῆναι δὲ τοῦ Θησέως ἐρῶντος ἑτέρας.*

Δεινὸς γάρ μιν ἔτειρεν ἔρως Πανοπηΐδος Αἴγλης.

Hic quaestio nascitur, num omnia haec verba ad Hesiodum referenda sint an suprema tantum inde a verbo *ἀπολειφθῆναι κ. τ. λ.* Jam vero si statuitur veram esse priorem sententiam, hanc fabulam poeta in mente habuisse videtur: Theseus cum rediret a Creta Athenas, Aegles cuiusdam amore ad perfidiam permotus Ariadnam relinquit (quo loco hoc factum sit, dubium est[4])), quae ipsa deinde per nautas in Naxum insulam transportatur.

---

[1]) Plut. 20. *ἔνιοι δὲ καὶ τεκεῖν ἐκ Θησέως Ἀριάδνην Οἰνοπίωνα καὶ Στάφυλον. ὧν καὶ ὁ Χῖος Ἴων ἐστὶ περὶ τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος λέγων· Τήν ποτε Θησείδης ἔκτισεν Οἰνοπίων.*

[2]) Schol. Odyss. *λ.* 323: *πῶς οὖν θεμιστεύει* (sc. *Μίνως*) *ἐν τοῖς νεκροῖς ὀλοόφρων ὤν; φησὶ Κράτης, ὅτι ἕτερον τὸν ἐν Ἅιδου δικάζοντα καὶ ἄλλον τὸν λεγόμενον.* cf. Diod. IV. 60.

[3]) Plut. Thes. ibid.

[4]) Fortasse finxit poeta eam desertam fuisse in Dia insula Cretensi, ita ut misceret primariam (Homericam) fabulam cum posteriore, quae Ariadnam in Naxo relictam esse volebat. Sed cf. infra.

Sed ab alia parte negari non potest fortasse haec verba a sequentibus separanda esse, et sola verba inde ab *ἀπολειφθῆναι κ. τ. λ.* ad Hesiodum spectare. Quod ex mea sententia probabilius est, siquidem fabula de matrimonio Ariadnae cum Oenaro Bacchi sacerdote contracto Euhemeri, ut ita dicam, rationem olere videtur eamque ob causam posteriori tempori tribuenda est.[1]) Hoc si statuimus, nihil ex verbis illis colligi potest nisi Theseum fidem Ariadnae violasse alius amore incensum.[2])

Totam autem hanc fabulam de Ariadna perfide a Theseo deserta Athenienses postea improbavisse, Hereae Megarensis testimonio significatur Pisistratum delevisse hunc versum in operibus Hesiodeis[3]); quamquam huius testimonii fides admodum dubia est[4]). Ceterum similium narrationum vestigia non pauca relicta sunt. *Καὶ γὰρ Ἀναξὼ τινα Τροιζηνίαν ἁρπάσαι λέγεται καὶ Σίνιν ἀποκτείνας καὶ Κερκύονα συγγενέσθαι βίᾳ ταῖς θυγατράσιν αὐτῶν*[5]), omninoque Theseum celebratum fuisse *πολυγύναιον* Athenaeus tradidit.[6]) Atque si causam quaeras, quomodo eiusmodi rumores oriri potuerint, vix aliam reperies nisi iam primitus ad componendam fabulam Theseam multam valuisse rationes, quas Athenienses cum Troezeniis haberent.[7]) *Τροιζηνία γὰρ ἡ Ἀφροδίτη*[8]) eiusque cultum per Iones demum in Atticam translatam esse fabula illa docet, quae Aegeum refert Athenis Veneris religiones instituisse.[9]) Unde factum esse videtur, ut tales fabulae fingerentur, quibus Theseus describitur venustus et amoribus famosus iuvenis

---

[1]) Cf. infra.

[2]) Similiter Athen. XIII. 557: *Ἡσίοδος δέ φησιν καὶ Ἵππην καὶ Αἴγλην* (sc. *νομίμως αὐτὸν γῆμαι*), *δι' ἣν καὶ τοὺς πρὸς Ἀριάδνην ὅρκους παρέβη, ὥς φησι Κέρκωψ.* Quae quidem quomodo a nostris dissentiant, vid. Marckscheffel, Hesiodi Eumeli rell. frg. coll. p. 159/60.

[3]) Plut. l. c.

[4]) Lehrs. de Aristarchi stud. Hom.[2] p. 446.

[5]) Plut. Thes. 29 init.

[6]) Athen. XIII. 4.

[7]) De quibus cf. Pausan. II. 30. Stephani p. 1 sqq. Welcker, griech. götterlehre. I. p. 636.

[8]) Tzetz. ad Lycophr. v. 610. cf. Steph. Byz. v. *Τροιζήν*.

[9]) Pausan. I. 14. 7. Ipse Theseus, cum in Cretam proficisceretur, Venerem patronam sibi conciliavit. (Plut. 18.)

facile[1]) quidem mulierum amorem excitans, sed leviter desiderio expleto eas deserens. Inter quas Hesiodeam habendam esse elucet.

Aperte autem quadrat in hanc narrationem, quod Plutarchus[2]) incertis auctoribus usus de Ariadnae exitu servavit, videlicet a Theseo dimissam in morem heroinarum sibi ipsi mortem conscivisse. Nam certe probabilitate non caret hanc fabulam Athenienses finxisse permotos simili de Phaedra Ariadnae sorore fabula eiusque misero in laqueis exitu. Hanc vero primum divulgatam fuisse inter Troezenios[3]) indeque translatam esse Athenas satis constat.

Ex epicorum igitur testimoniis duas de Theseo et Ariadna fabulas eruimus: alteram, Ariadnam necatam periisse a Diana propter eas, quas supra exposuimus, causas; alteram, a Theseo eam relictam esse cum alius amore inflammatus esset.

Jam vero his expositis discedere licet ab epicis poetis et transire ad lyricos. Perpauca tantum ex eorum operibus, quae ad propositum nostrum attinent, memoriae prodita sunt.

Ac primum quidem Sappho[4]) de hac fabula versus fecisse scimus ex Servii testimonio ad Verg. Aen. VI. 21: ‚Quidam septem pueros et septem puellas accipi volunt, quod et Plato dicit in Phaedone et Sappho in lyricis (et Bacchylides in dithyrambis et Euripides in Hercule), quos secum liberavit Theseus.‘ Prima igitur fuit Sappho praeter poetam illum Homericum, quae mentionem fecit tributi Cretici, de quo cum infra accuratius disputaturus sim, nunc quidem hoc testimonium praetermittere mihi liceat.

Ampliorem in modum Simonides Ceus fabulam Ariadneam tractasse videtur. Quod quidem mirandum non est, cum ille Pisistratidarum amicissimus[5]) esset, itaque haec materia aptissima ad

[1]) Schol. Callim. in Del. 307: *Ἀφροδίτης ἱερὸν ἐν Δήλῳ· ὅπερ Θησεὺς ἔκτισε διὰ τὸ εὐχερῶς τὴν Ἀριάδνην ὀλισθῆναι εἰς πόθον καὶ χειρώσασθαι τὸν Μινώταυρον.*

[2]) Plut. Thes. 20: *Οἱ μὲν γὰρ ἀπάγξασθαί φασιν αὐτὴν ἀπολειφθεῖσαν ὑπὸ τοῦ Θησέως.*

[3]) cf. Most. de Hippolyto Thesei filio. diss. Marburg. 1840. L. Schmidt. de Hippolyto Troezenio in museo Rhenano 1850. VII. p. 52—64.

[4]) Bergk: poetae lyr.³ fg. 144.

[5]) Plat. Hipparch. p. 228: *Σιμωνίδην δὲ τὸν Κεῖον ἀεὶ περὶ αὑτὸν εἶχε (sc. Ἵππαρχος) μεγάλοις μισθοῖς καὶ δώροις πείθων.* cf. Schneidewin, Simonidis Cei carm. reliq. Brunsvigae 1835. p. VIII. sqq.

celebrandas Atheniensium laudes facile excitare posset eius ingenium. Atque ab eo compositum fuisse carmen de Cretensi expeditione deque Aegeo sene spe falsa in mare se abiiciente constat, sed quomodo tractaverit benignam hanc materiam maximam partem latet, cum perexigua de hoc carmine ad nos pervenerint.

Ac primum quidem induxit Plutarcho[1]) teste poeta Phereclum Cretensis navis rectorem. Aliam famam postea secutus est Philochorus, qui Theseum, cum nondum pollerent in mari Athenienses, gubernatores Nausithoum et Phaeacem e Salamine insula sibi sumpsisse tradidit.[2]) Fortasse hac in re Simonides Homero usus est, qui celebravit Phereclum rerum navalium peritissimum virum.[3])

Rursusque discrepans cum fama vulgari, ex qua Aegeus pater filio in Cretam profecturo album velum dedisse fertur, quod panderet, si incolumis rediturus esset, ille finxit Theseum non album accepisse sed: *φοινίκεον ἱστίον ὑγρῷ πεφυρμένον πρινὸς ἄνθει ἐριθάλλου.*[4])

Deinde carmen productum fuisse usque ad Aegei mortem ex alio fragmento[5]) scimus, quod sine dubio ad idem carmen perti-

[1]) Plut. Thes. 17.

[2]) Qui quidem quasi heroes rerum navalium in portu Phalerico honorabantur, eisque *τὰ Κυβερνήσια* festum Theseus sacrasse dicebatur (Plut. ibid.) Vides igitur ex cultu hanc fabulam originem traxisse.

[3]) Il. V. 59. sqq.

[4]) De lectione cf. Bergk. poet. lyr.³ fg. 54. — Mirum in modum haec ita interpretatur Boettigerus (archaeol. mus. I. p. 24): ‚Von der burg in Athen konnte man wohl das meer sehen, aber die farbe der segel zu unterscheiden dürfte auch dem schärfsten auge von dort unmöglich fallen. Demohngeachtet war es die gemeine sage in Athen, Aegeus habe sich von der burg umgesehen und sich von dort herabgestürzt. cf. Diod. IV. 61. Paus. I. 22. Um dieser ungereimtheit zu entgehen, hatte Simonides statt der weissen segel mit unächter cochenille gefärbte angenommen in dem fg. bei Plut. Thes. 16. (allein die ältere sage, der Stat. XII. 624. folgt, lässt den Aegeus weit begreiflicher sich vom vorgebirge Sunion herabstürzen). Simplicius Prellerus³ II. 295: Simonides hatte gedichtet, dass Aegeus seinem sohne ein feuerrothes segel mitgegeben habe, die noch brennendere farbe des lichtes und der freude.‘ Sed quid tam remota afferuntur ad interpretandum poetam! Nonne par erat Simonidem, quippe qui versari soleret inter reges (Aelian. var. hist. IV. 15. Plat. l. l.), ceteris omnibus anteposuisse regium colorem? Simili modo famosi Colchici arietis vellus non aureum sed purpureum fuisse finxit. cf. Voss, mythol. briefe. I. p. 254

[5]) Bergk. poet. lyr.³ fg. 55.

net, ubique commemoratur nuntius ad Aegeum missus eiusque mortem miseram lugens. Denique, quod attinet ad Ariadnam, si licet coniecturam proferre, quid narraverit Simonides suspicari nos posse arbitror. Etenim Plutarchus inter eos qui de Cretensi expeditione referunt solus narrat Theseum cum servatis obsidibus reversum velum pandere, quo rem bene gestam praenuntiaret, oblitum esse *ὑπὸ χαρᾶς*, alii [1]) in oblivione eum iacuisse tradunt tristitia affectum de amissa Ariadna. Atque cum in ceteris, de quibus modo diximus, rebus singularibus ante oculos habuerit Plutarchus Simonidem, verisimile est etiam hanc proprietatem ab illo profectam esse. Jamque si fides habenda est huic coniecturae [2]), apertum est quid finxerit Simonides. Quid enim? Num laetitia motus esse potuit Theseus, si Ariadnam amisisset? Ergo Simonides aut Ariadnam omnino non commemoravit aut inter eos erat, qui Ariadnam non desertam sed cum Theseo in eius patriam venisse narrabant. [3])

Reliquum est, ut videamus, quomodo egerint de hac fabula scaenici poetae.

Ea quidem pars, de qua adhuc disseruimus, quae narravit de Ariadna per Theseum rapta desertaque, ne ab uno quidem, quantum scimus, poeta scaenico tractata est, neque inter servata dramatum nomina vel unum est, quod satis certe ad hanc fabulam referri debeat. Quamquam, quod iam monuit Boettigerus [4]) bellam satyrico poetae praebuisset materiam Ariadna in Naxo insula relicta ibique a Libero inventa. Attamen unde factum sit, ut eiusmodi dramata non componerentur, fugere neminem potest, siquidem certe maxime cavendum erat poetis, ne tali scaenico argumento plebis vanitatem ambitionemque offenderent.

E contrario autem, quod pertinet ad alteram fabulae partem, quae Minoem spectat omninoque res Creticas, eam non desierunt poetae scaenici iterum iterumque tractare. [5]) Atque, quod infra

[1]) Diod. IV. 61. Paus. I. 22. 5. (Catull. 64. 207..... caeca mentem caligine Theseus consitus.....?)

[2]) Quam protulit Schneidewin, Simonidis Cei rell. p. 43.

[3]) Cf. Plut. 20. Schol. Odyss. λ. 321: *Ἀριάδνη Μίνωος θυγάτηρ γυνὴ Θησέως, ἐξ ἧς Δημοφῶν καὶ Ἀκάμας.*

[4]) Boettiger, archaeol. mus. 8. (22.)

[5]) Catalogum dramatum eo spectantium et tragicorum et comicorum composuit Hoeckius, Kret. II. p. 97.

accuratius videbimus, id praecipue egerunt, ut viris equisque, ut aiunt, maledicerent Minoi eiusque imminuerent laudes. Neque qua ratione in has partes ducti sint, difficilius est intellectu quam, quid eos deterruerit, quominus Ariadnam in scaenam proferrent. Nimirum aptissima erat materia, qua captarent poetae auram popularem. Nam certe vanis illis Atheniensibus quod magis arrideret non erat nisi male audire eum, cuius dicioni olim obnoxii fuerant. Recte autem de omnibus his fabulis Socrates in Pseudoplatonico dialogo qui Minos inscribitur [1]): *οἱ (γὰρ) ποιηταὶ μέγα δύνανται εἰς δόξαν, ἐφ᾽ ὁπότερ᾽ ἂν ποιῶσιν εἰς τοὺς ἀνθρώπους ἢ εὐλογοῦντες ἢ κατηγοροῦντες. ὃ δὴ καὶ ἐξήμαρτεν ὁ Μίνως πολεμήσας τῇδε τῇ πόλει, ἐν ᾗ ἄλλη τε πολλὴ σοφία ἐστὶ καὶ ποιηταὶ παντοδαποὶ τῆς τε ἄλλης ποιήσεως καὶ τραγῳδίας.*

Sed ad ipsos aggredior poetas. Inter Sophocleas tragoedias Theseum fuisse nec non Aegeum traditum est. De priore [2]) quidem nihil compertum habemus nisi solum nomen, alteram Prellerus egisse censuit de Thesei patre rediturum filium cum liberatis Atheniensium obsidibus expectante et in mare se praecipitante. [3]) Sed e paucis quae extant huius tragoediae fragmentis nihil omnino certi colligi potest, quod satis cognoscas e magna discrepantia eorum qui eis operam dederunt, quorum sententias videas apud Welckerum: die griechischen tragoedien (Bonn 1839) I. p. 393. Omisso igitur Sophocle ad Euripidem veniamus, qui Theseum tragoediam composuerit.

Quamvis dolendum sit hanc quoque tragoediam perpaucis reliquiis exceptis periisse, id tamen satis certum est eius argumentum constitisse ex Thesei cum Minotauro pugna commissa. Nam teste scholiasta Aristophaneo (vespp. 312) in hac tragoedia introducebantur *οἱ ταττόμενοι παῖδες εἰς βορὰν τῷ Μινωκενταύρῳ* et de ipso Minotauro Euripideo Plutarchus [4]) servavit hos versus:

Σύμμικτον εἶδος κἀποφώλιον βρέφος (*τρέφος* Nauck. 378.)
atque *Ταύρου μεμῖχθαι καὶ βροτοῦ διπλῇ φύσει.* [5])

Ceterum, quantum de nexu sententiarum deque tragoediae actione

[1]) Plato p. 320. E. cf. Plut. 16.

[2]) Nauck. tragicor. Graec. fragm. p. 146.

[3]) Preller. myth. [2] II. p. 297.

[4]) Plut. Thes. 15.

[5]) Cf. Eurip. tragoed. ed. Nauck. III. p. 99.

e fragmentis aliisque testimoniis omnino erui licet, satis collegerunt Welckerus [1]) et Jahnius [2]) isque meo quidem arbitrio probabiliorem in modum. Quae cum recoquere me taedeat neque quod eis addam habeam, nihil restat, nisi ut ad finem huius disputationis partis in medium proferam quaestionem de ipso Minotauri persona gravissimam.

Propterea autem hanc quaestionem ad finem usque distulimus, quod id quaerendum est, utrum a tragicis demum poetis Minotaurus in fabulam de expeditione Cretensi affictus sit an priore iam tempore in ea extiterit.

Primus enim, quantum scio, J. H. Vossius [3]) e genuina fabula, quam Homerum adumbrasse et cum Cretensibus ipsis Aristotelem pro vera habuisse dicit, vehementer indignabundus Minotauri foedissimam personam tolli iussit. Talem enim fuisse, ut ipsius verba afferam, primariam huius fabulae formam: ‚Minos, dessen sohn Androgeos in Athen erschlagen worden, forderte zur genugthuung einen neunjährigen tribut von sieben knaben und gleich viel mädchen, bestimmt zu kampfpreisen des für den sohn geordneten todtenfestes. Mit der dritten sendung ging Theseus, das fest durch theilnahme zu ehren; im verstatteten kampfe obsieger gewann er die liebe der Ariadne, der erhabene rechtspfleger Minos, nicht mehr jener hartherzige ὀλοόφρων, schenkte ihm die kinder und erliess seiner stadt den tribut. Ariadne aber, von Theseus entführt, blieb in Naxos zurück. (Plut. Thes. 19. 20.)‘ — Minotaurum igitur nihil esse Vossius iudicavit nisi fictionem Atheniensium, qua invidiam conflarent Minoi.

Alii qui deinde de fabula Thesea disseruerunt [4]) plus minusve Vossii vestigia presserunt. Ac frustra monuit Boettigerus [5]) de antiquitate picturarum, quae ad Minotaurum spectarent; nam etiam Stephanius [6]) accurata et subtili disputatione demonstrare idem illud studuit eoque progressus est, ut contenderet a tragicis demum poetis inventum esse Minotaurum.

[1]) Welcker, griech. tragöd. II. p. 733. sqq.

[2]) Jahn, archaeol. beiträge p. 252 sqq.

[3]) Voss, mythol. briefe. III. p. 92.

[4]) O. Müller, Dorier I. p. 244. Höck, Kreta II. p. 99. 115.

[5]) Böttiger, ideen zur kunstmythologie. I. p. 348.

[6]) Stephani p. 20.

Atque hac fere ratiocinatione illi ducti sunt. Primum si scriptorum testimonia adimus, tritissima fabula de tributo Minotaurico nullo antiquiore loco (ut Homericum illum et Sapphicum in dubio relinquamus) commemoratur, sed a logographis [1]) demum literis mandata est. In contrariam autem partem testimonia eaque vetusta non desunt de Minoe, quae illum minime crudelem et immanem virum itaque ab eo, quam in fabula Minotaurica sustinet, persona omnino abhorrentem describunt.

Minos enim, ubicunque apud epicos commemoratur poetas, semper iustitiae virtutisque laudibus decoratur, numquam ut vir crudelis et tyrannus inducitur. Satis notum est tantopere eius iustitiam ac sapientiam in omnium ore fuisse, ut apud inferos munere iudiciali de mortuis fungi in vulgus crederetur. Qua ex opinione iam in Odyssea Ulixes:

Μίνωα ἴδον Διὸς ἀγλαὸν υἱὸν
χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα θεμιστεύοντα νέκυσσιν. [2])

Huc accedit Plutarchi [3]) testimonium: *καὶ γὰρ ὁ Μίνως ἀεὶ διετέλει κακῶς ἀκούων ἐν τοῖς Ἀττικοῖς θεάτροις· καὶ οὔτε Ἡσίοδος αὐτὸν ὤνησε βασιλεύτατον* [4]) *οὔτε Ὅμηρος ὀαριστὴν Διὸς προςαγορεύσας.* — Quae cum ita sint, satis constat epicos poetas omnino ignorasse Minoem ut durum et immanem tyrannum. [5])

Id igitur recte Vossius quique eum secuti sunt, collegerunt foedissimi tributi Minotaurici scientiam habere non potuisse Homerum, ideoque locum illum Odysseae, de quo supra egimus, posteriore tempore compositum esse. Num vero recte longius processerunt, cum ex his concluderent ne figuram quidem Minotauri

[1]) V. infra.

[2]) Odyss. XI. 568. cf. Il. XIII. 450. XIV. 322.

[3]) Plut. Thes. 16.

[4]) Cf. Kinkel fg. 123.

[5]) Jure igitur offenditur in Minois epitheto Homerico *ὀλοόφρων*, quod supra (p. 3) obiter attigimus. Quoquo enim modo explicari vis (cf. Nitzsch. anmerkungen), certe negare non poteris eum qui scripserit *ὀλοόφρων* alludere voluisse ad tributum Minotauricum. Quamquam scholiasta: *ὀλοόφρονος οὖν τοῦ ὀλοὰ τοῖς ἀδίκοις φρονοῦντος*, itemque Eusthatius: *ὀλοόφρων δὲ ὁ τοιοῦτος τοῖς κακούργοις δηλαδή.* Deinde schol. *ἢ τοῦ τέλεια φρονοῦντος*, quibuscum consentit Apollonius: *ὀλοόφρονος· ὀλέθρια φρονοῦντος· δύναται δὲ καὶ ὀλοόφρων λέγεσθαι ὁ ὑγιεῖς τὰς φρένας ἔχων.* Quae quidem recte refutavit Stephanius p. 7.

priscam esse sed excogitatam quinto saeculo fortasse ab ipsis tragicis?

Obstant certe huic sententiae gravissimae dubitationes. Primum enim, ut concedamus recte contendisse Stephanium Minotauri fictionem posteriori tribuendam esse aetati, quomodo explicari potest eandem [1]) Minotauri figuram etiam aliis locis inveniri et tam longe lateque polluisse, ut Romanorum legiones infigerent eius imaginem signis militaribus? [2]) Quid? laudes Atheniensium re vera efficere potuerant, ut imago monstruosa ad inferendam Cretensibus turpitudinem et infamiam ficta in talem usum adhiberetur? Nonne hoc potius movere nos debet, ut Minotaurum pro symbolo habeamus ex antiquis religionibus recepto?

Sed ne plus quam par est huic rei ponderis tribuamus, aliud atque ex mea sententia gravissimum easdem in partes vocandum est: Minotaurum dico impressum in ipsorum Cnosiorum nummis. [3]) Etenim si omnino aliquid hoc certe ab omni parte vetat, ne Minotauri figuram antiquissimam, quae omnibus repraesentationibus subest, ab Atheniensibus profectam esse putemus. Nam id certe ne speciem quidem probabilitatis attingit repraesentationem monstri alicuius ab Atheniensibus excogitati ad Cretensium laudes minuendas ab iis ipsis receptam nummisque impressam esse. Id igitur apparet Minotaurum Cretensium proprium esse et referendum ad cultum numinis solaris. [4])

Itaque nunc proponenda est haec quaestio, quo tempore orta sit fabula de voratis obsidibus deque Minotauro per Theseum victo. Ad eam solvendam videamus oportet reliquas narrationes, quae cum fabula Minotaurica commixtae sunt.

Minos igitur ulturus Androgeum interfectum ab Atheniensibus filium Athenas expugnat victisque civibus tributum imposuit.

---

[1]) Hebonis similem figuram (quae apud Campanos reperitur atque a Minotauro eo tantum differt, quod repraesentatur inverso ordine ut taurus, cui affixum est caput humanum) Boettigerum (ideen zur kunstmythol. I. p. 323 sqq. 336.) secutus Hoeckius quoque II. 67. eundem ab initio fuisse atque illum censuit.

[2]) Plin. H. N. X. 5.

[3]) Hoeck, Kreta II. 66.

[4]) Hoeck. ibid. p. 107. Preller, mythol.[3] II. p. 124. Duncker, gesch. des alterth. I.[4] p. 266. II.[4] p. 36. sqq.

Atque, ut sub fabulis velut involucris saepe veritas latet, ita dubitari nequit, quin hoc bellum ad historica fundamenta revocandum sit. Nam quid Athenienses permovere potuerit, ut sine causa ex nihilo fingerent bellum infeliciter et sine laude gestum, intellegi plane non potest. Quapropter certe huic fabulae subest memoria vetusta belli male gesti.

Deinde eadem ex causa equidem non video, cur accipiendum sit fabulam illam de Androgeo interfecto affictam esse ab Atheniensibus ad belli causas explicandas. [1]) Immo ipsa fabula hoc vetare mihi videtur.

Androgeum enim sive Eurygyem iuvenem Athenas venisse ibique diem obiisse supremum iam in carminibus Hesiodeis [2]) narratum fuisse scimus. Fere omnes deinde fabulae quaecunque de Androgeonis exitu narrantur, sive eum per insidias eorum, quos vicerat in ludis [3]), sive per taurum Marathonium [4]), sive per Aegeum timentem, ne foedus iniret cum Pallantis filiis [5]), interfectum esse volunt, in eo consentiunt, ut Atheniensium dolo et fraude eum periisse contendant. — Jamque id unum satis testatur hanc fabulam ab initio arte connexam fuisse cum fabula de bello Cretensi neque posteriore tempore fictam ad causas belli explicandas. Quid enim vanum et gloriosum Atheniensium populum adducere poterat ad illustrandas illius belli infeliciter gesti causas, ut talem famam fingerent, qua se ipsos perfidiae atque impietatis accusarent gravissimae? Certe non haec sed alia excogitassent ita quidem, ut ab initio in Minoem inimicitiarum culpam conferrent. Quod re vera fecerunt Atthidum scriptores [6]) id unum enitentes, ut novis belli causis fictis Athenienses defenderent et oblitterarent vetustam illam invidiosamque famam.

Historica igitur, quibus continetur fabula, haec sunt: Athenienses in Cretenses, quibuscum deorum cultu coniuncti erant, cul-

---

[1]) Quod Hoeckius (II. 104) sibi persuasit.

[2]) Hesych.: *ἐπ᾽ Εὐρυγύῃ ἀγών· Μελησαγόρας τὸν Ἀνδρόγεων Εὐρυγύην εἰρῆσθαί φησι τὸν Μίνωος, ἐφ᾽ ᾧ τίθεσθαι ἐπιτάφιον Ἀθήνησιν ἐν τῷ Κεραμεικῷ. καὶ Ἡσίοδος· Εὐρύγυης δ᾽ ἔτι κοῦρος Ἀθηναίων ἱεράων.*

[3]) Diod. IV. 60. Eustath. ad Odyss. XI. 320.

[4]) Apollod. III. 15. 7. De Pausan. I. 27. 9 cf. p. 20.

[5]) Diodor. l. c.

[6]) Cf. Plut. Thes. 19.

pam aliquam commiserunt laesae religionis, ad quam placandam tributum iuvenum puellarumque mittere coacti sunt. Jam vero ut haec in mythum vertamus, aperta est vetusta fabula et ab omni parte quadrans in Minois personam, qualis apud epicos describitur et in omnium ore versabatur, haec: Androgeos e Creta insula Athenas profectus civium perfidia interiit. Cuius vindex Minos Atheniensibus bellum parat [1]), ut Ovidianis [2]) utar:

Androgeique necem iustis ulciscitur armis.

Neque religiosum persequenti officium deest auxilium deorum. Graviter enim oppressi Athenienses a deis iubentur, quaecunque Minos petiturus sit, facere. Is autem eis imposuit tributum septem iuvenum septemque puellarum certis temporis spatiis mittendum. De quo id unum satis constat obsides non deditos esse Minotauro vorandos, sed quae fuerit eorum sors secundum antiquam fabulam in abscondito latet, nisi ex illis, quae Aristoteles tradidit apud Plutarchum, aliquid colligere velis. [3])

His quidem cum Vossio eisque qui illum secuti sunt idem fecimus, cetera, ut ex eis quae supra de Minotauro disputavimus elucet, comprobare nequimus.

Quid vero? etsi non invenerunt Minotaurum tragici, tamen fortasse primi erant, qui hanc figuram introducerent in fabulam? Sed ne hoc quidem concedi potest, nam obstant testimonia artis antiquae.

Erat enim inter antiqua monumenta Peloponnesiaca Apollinis Amyclaei sella quae dicebatur, quam extruxit Bathycles Magnesius cuique insculpta erant Pausania teste [4]) cum multa alia tum Theseus

[1]) Cui implicati sunt Megarenses, quorum urbem per Scyllam proditam Nisi regis filiam Minos expugnavit, priusquam in Atticam profectus est. Ipse Nisus Pandionis filius est Aegei frater (Apollod. III. 15. 6. (8.)). Neque vero recte de hac re iudicavit Hoeckius II. p. 90, sed referenda est ad inventa illa, quibus Athenienses comprobare studuerunt Megarenses antiquissimis temporibus dicioni suae obnoxios fuisse. (Wilamowitz, Hermes IX. p. 319 sqq.) Cf. de fabula illa Rohde, der griech. roman. p. 93 sq.

[2]) Ovid. metam. VII. 457.

[3]) Boettigerus (ideen zur kunstmythologie I. p. 348.) existimat hierodulorum partes illos in Creta suscepisse et comparat ad tutandam suam sententiam simile virginale tributum, quod olim Locri Opuntii quotannis Ilium mittere coacti erant ad placandam Minervae iram de Cassandra sacerdote per Aiacem stuprata incensam.

[4]) Pausan. III. 18. 6. sqq. cf. Overbeck, gesch. d. griech. plast. I². p. 82 sqq.

Minotaurum vinculis adstrictum vivumque secum trahens. Singularem hanc repraesentationem et ipse Pausanias miratus est, recentiores vero Heynius [1]) eumque secutus Stephanius omnino eum errasse censuerunt neque Minotaurum sed taurum Marathonium insculptum fuisse statuerunt. Sed eiusmodi errorem Pausaniae minime crimini dandum esse satis gravibus argumentis Jahnius [2]) demonstravit.

Deinde si respicitur innumerabilis pictarum imaginum copia, in vasorum genere, quae nigris figuris ornata sunt, semper eadem iteratur repraesentatio: Minotaurus genu sustinens inhabilem molem corporis vasti graviterque bracchia porrigens per Theseum captus seu vulneratus. [3]) Quae pictura, cum ars pingendi nova fere aliaque facta sit, maximam partem retinetur in vasibus, quae rubris figuris decorata sunt. Sine dubio igitur frequens haec certaminis repraesentatio referenda est ad pervetustam quandam imaginem.

Quae cum ita se habeant, statuamus oportet fabulam mox in peiorem partem mutatam esse; quod quidem re vera facile fieri potuit fama semel orta illius belli infeliciter gesti atque tributi impositi. Etenim cum memoriam huius belli oblivione terere non possent Athenienses, ultionem saltem petiverunt imminutis Minois laudibus. Memores igitur obscurorum veterumque rumorum de crudeli Cretensium cultu finxerunt illos obsides Minotauro immani beluae vorandos deditos miseram mortem obiisse.

Eoque facilius fortasse hoc fieri potuit, quia in ipsorum Atheniensium cultu erant, quae ad talem morem spectarent. Etenim memoriam Thesei expeditionis renovare solebant imprimis in festo Thargeliorum. Quo tempore, ut satis notum est, navis illa, qua secundum fabulam Theseus in Cretam profectus erat, [4]) quotannis in Apollinis honorem Delum mittebatur. [5]) Atque cum hoc festum,

[1]) Heyne, antiquar. aufsätze, p. 18.

[2]) Jahn, archaeol. beitr. p. 257.

[3]) Theseus und Minotaurus. 38. progr. zum Winckelmannsfeste der archaeol. gesellschaft zu Berlin v. Alex. Conze. Berl. 1878. p. 7 sq.

[4]) Plato, Phaed. init.

[5]) Ex hac vetusta Deliaca theoria orta est fabula Theseum Creta relicta in Delum appulisse ibique in Apollinis honorem ad celebrandam victoriam saltasse cum servatis obsidibus (Plut. 21.). Quam quidem a genuina fabula alienissimam esse iam Hoeckius (II. 134) cognovit. Cf. Preller, ausgew. aufs. p. 301 sqq. Ceterum, quantum enisi sint posteriore tempore

ut ex eius caerimoniis[1]) cognoscitur, memoriam servaret barbarae consuetudinis hominum immolandorum, haec quoque res efficere potuit, ut Minois gloria eo quo exposuimus modo deformaretur.

Itaque fabula illa de Minotauro a Theseo interfecto iam antiquitus exculta fuisse videtur. Neque est cur antiquitatem abiudicemus versibus Odysseae supra illustratis, aut Sappho novisse obsides a Minotauro voratos negemus.[2]) Certe si omnino illo, quem commemorat Servius, loco copiosius hanc fabulam tractavit, Minotauri quoque mentionem fecit.

Quamquam unum restat, quod aliquo iure nobis opponi posse videtur. Nam fortasse quispiam dixerit: Quid? si iam antea tota fabula extitit, quomodo expedire vis veterum scriptorum testimonia uno ore tragicos fuisse affirmantium, qui invidiam inflaverint Minoi? Equidem quod respondeam habeo. Fabula de tributo Minotaurico etsi iam inter Atticos vigebat, inter omnes tamen valere coepit tum demum, cum in scaenam prolata erat atque ita ad omnium cognitionem pervenerat. Quam ob rem recte tragici dicuntur auctores quodammodo fuisse Minois infamiae. Praeterea autem scaenicos poetas ex propriis addidisse, quibus turparent ac deformarent Minois famam, ut negem longe absum. Velut id ab iis profectum esse videtur obsides in flexuosis labyrinthi itineribus[3]) errasse et fama necatos misere e vita decessisse. Deinde primi fortasse erant, qui ad Cretenses referrent inimicitiarum initium vel eo quo supra vidimus modo, vel eo quo Pausanias[4]) ex Atticorum opinione narrat: Androgeum in Atticam venisse fortuitoque cum multis aliis per saevum taurum Marathonium occisum esse. Minoem autem, cum persuadere sibi nollet Athenienses culpa huius mortis vacare, bellum eis intulisse rebusque bene gestis iniustum et foedissimum tributum eis imposuisse.

Athenienses, ut cultus consensum cum fabula Thesea efficerent, imprimis intellegitur e caerimoniis Oschophoriorum festi quae dicebantur. Cf. Mommsen, heortologie p. 276 sqq.

[1]) C. Fr. Hermann, gottesdienstl. alterthümer der Griechen p. 316.

[2]) Negavit hoc Stephanius p. 20.

[3]) Plut. 15. *Τοὺς δὲ παῖδας εἰς Κρήτην κομιζομένους ὁ μὲν τραγικώτατος μῦθος ἀποφαίνει τὸν Μινώταυρον ἐν τῷ Λαβυρίνθῳ διαφθείρειν ἢ πλανωμένους αὐτοὺς καὶ τυχεῖν ἐξόδου μὴ δυναμένους ἐκεῖ καταθνήσκειν.*

[4]) Pausan. I. 27. 9.

Tandem ut totam fabulam Minotauricam uno in conspectu videamus, Pherecydis fragmentum[1]) in scholiis Odysseae (λ. 320) servatum proferre liceat, quo simul ad fabulam Ariadneam, ex qua orsi sumus, redeamus. Narrat igitur Pherecydes: *Θησεὺς ὁ Αἰγέως λαχὼν μετὰ τῶν ἠιθέων εἰς Κρήτην πλεῖ*[2]) *τῷ Μινωταύρῳ παρατεθησόμενος πρὸς ἀναίρεσιν. Ἀφικομένου δὲ αὐτοῦ, ἐρωτικῶς πρὸς αὐτὸν διατεθεῖσα ἡ τοῦ Μίνωος θυγάτηρ Ἀριάδνη δίδωσιν ἀγαθίδα μίλτου* (Buttm. coni. *μίτου*) *λαβοῦσα παρὰ Δαιδάλου τοῦ τέκτονος καὶ διδάσκει αὐτὸν, ἐπειδὰν εἰσέλθῃ, τὴν ἀρχὴν τῆς ἀγαθίδος ἐκδῆσαι περὶ τὸν ζυγὸν τῆς (τὸν?) ἄνω θύρας καὶ ἀνελίσσοντα ἰέναι, μέχρις ἂν ἀφικῆται εἰς τὸν μυχόν. Καὶ ἐὰν καθεύδοντα μάρψῃ, κρατήσαντα τῶν τριχῶν τῆς κεφαλῆς τῷ Ποσειδῶνι θῦσαι καὶ ἀπιέναι ὀπίσω ἀνελίσσοντα τὴν ἀγαθίδα. Ὁ δὲ Θησεὺς λαβὼν τὴν Ἀριάδνην εἰς τὴν ναῦν ἐμβάλλεται καὶ τοὺς ἠιθέους καὶ παρθένους οὔ δήπω φθάσαντας τῷ Μινωταύρῳ παρατεθῆναι. Καὶ ταῦτα ποιήσας νυκτὸς μέσης ἀποπλεῖ.*[3]) *Προσορμίσας δὲ τῇ Δίᾳ νήσῳ ἐκβὰς ἐπὶ τῆς ἠίονος μετακοιμᾶται. Καὶ αὐτῷ ἡ Ἀθηνᾶ παραστᾶσα κελεύει τὴν Ἀριάδνην ἐᾶν καὶ ἀφικνεῖσθαι εἰς Ἀθήνας. συντόμως δὲ διαναστὰς ποιεῖ τοῦτο· καὶ ὀλοφυρομένης δὲ τῆς Ἀριάδνης ἡ Ἀφροδίτη ἐπιφανεῖσα θαρρεῖν αὐτῇ παραινεῖ. Διονύσου γὰρ ἔσεσθαι γυναῖκα καὶ εὐκλεῆ γενέσθαι, ὅθεν ὁ θεὸς ἐπιφανεὶς μίσγεται αὐτῇ καὶ δωρεῖται στέφανον αὐτῇ χρυσοῦν, ὃν αὖθις οἱ θεοὶ κατηστέρισαν τῇ τοῦ Διονύσου χάριτι. Ἀναιρεθῆναι δὲ αὐτὴν ὑπ᾽ Ἀρτέμιδος προεμένην τὴν παρθενίαν. Ἡ ἱστορία παρὰ Φερεκύδῃ.*

Facile cognoscitur in hac narratione mixtam esse fabulam Homericam cum fabula posteriorum de Ariadna in Naxo deserta.

---

[1]) Cf. Müller, fragm. historicor. Graec. I. fg. 106.

[2]) De Thesei profectione in Cretam Hellanici fragmentum servavit Plutarchus (Thes. 17), ex quo haec verba commemoratione non indigna esse videntur: *Ἑλλάνικος δέ φησιν οὐ τοὺς λαχόντας ἀπὸ κλήρου καὶ τὰς λαχούσας ἐκπέμπειν τὴν πόλιν, αὐτὸν δὲ τὸν Μίνω παραγινόμενον ἐκλέγεσθαι καὶ τὸν Θησέα πάντων ἑλέσθαι πρῶτον ἐπὶ τοῖς ὁρισθεῖσιν. Ὡρισμένον δ᾽ εἶναι τὴν μὲν ναῦν Ἀθηναίους παρέχειν, ἐμβάντας δὲ πλεῖν σὺν αὐτῷ τοὺς ἠιθέους μηδὲν ὅπλον ἀρήιον ἐπιφερομένους* (Müller, fg. 73).

[3]) Plut. Thes. 19: *Φερεκύδης δὲ καὶ τὰ ἐδάφη τῶν Κρητικῶν νεῶν φησιν ἐκκόψαι τὸν Θησέα τὴν δίωξιν ἀφαιρούμενον,*

Simul autem ex ea videmus, quantopere Athenienses omnibus viribus studuerint, ut de Thesei perfidia famam oblivione contererent. Quam ob rem non sua sponte sed deorum iussu sive ipsius Liberi [1]) sive Minervae Ariadnam reliquisse eum contenderunt.

Atque eodem modo factum esse puto, ut etiam fabula de Ariadnae voluntaria nece [2]) in mitiora defluxerit. Finxerunt enim, quod iam supra attigimus, eam a Theseo desertam (sc. Athenis, ubi cum Theseo matrimonio legitime contracto vitam degit, cf. supra p. 12) in Naxum insulam se contulisse, ibique a Baccho [3]) aut ab Oenaro eius sacerdote uxorem ductam esse. (cf. supra p. 8.)

II.

De Theseo ac Pirithoo fabula.

1. De descensu ad inferos.

Plutarchus in Thesei capite 30 haec narrat: *Τὴν δὲ πρὸς Πειρίθουν φιλίαν τοῦτον τὸν τρόπον αὐτῷ γενέσθαι λέγουσι. Δόξαν εἶχεν ἐπὶ ῥώμῃ καὶ ἀνδρείᾳ μεγίστην. βουλόμενος οὖν ὁ Πειρίθους ἐξελέγξαι καὶ λαβεῖν διάπειραν ἠλάσατο βοῦς ἐκ Μαραθῶνος αὐτοῦ καὶ πυθόμενος διώκειν μετὰ τῶν ὅπλων ἐκεῖνον οὐκ ἔφευγεν ἀλλ' ἀναστρέψας ἀπήντησεν. Ὡς δὲ εἶδον ἅτερος τὸν ἕτερον καὶ τὸ κάλλος ἐθαύμασε καὶ τὴν τόλμαν ἠγάσθη, μάχης μὲν ἔσχοντο, Πειρίθους δὲ πρότερος τὴν δεξιὰν προτείνας ἐκέλευσεν αὐτὸν γενέσθαι δικαστὴν τὸν Θησέα τῆς βοηλασίας· ἑκὼν γὰρ ὑφέξειν ἣν ἂν ὁρίσῃ δίκην ἐκεῖνος. Θησεὺς δὲ καὶ τὴν δίκην ἀφῆκεν αὐτῷ καὶ προυκαλεῖτο φίλον εἶναι καὶ σύμμαχον. ἐποιήσαντο δὲ τὴν φιλίαν ἔνορκον.*

[1]) Diod. IV. 61. V. 51. Schol. Theocrit. II. 45.

[2]) C. supra p. 10.

[3]) Quam quidem fabulam extitisse ex artis quibusdam operibus, quibus repraesentatur Ariadna Libero occurrens infantesque in manibus gestans, Jahnius collegit. arch. beitr. p. 276.

Quae quidem historiae quam fabulae propiora indicare videntur olim nobiles quasdam Lapitharum gentes bellicosasque patria Thessalia relicta in Atticam emigrasse ibique benigne receptas esse. Et re vera Athenis illustres quasdam gentes floruisse [1]) constat, quae originem duxerunt a Pirithoo. Quas eo quo nos fabula duce exposuimus modo Athenas olim venisse Odofredus Mueller [2]) haud improbabiliter demonstravit. Sic igitur factum esse videtur, ut fabula de Pirithoo in Atticam translata ab Atheniensibus cum Thesea coniungeretur. Itaque origines huius fabulae in Thessalia quaerendae sunt.

Atque in pristina Thessalorum fabula, quatenus eius vestigia apud epicos investigari possunt poetas, primas partes agit Pirithous, quippe qui cum Ixione patre aliisque Lapitharum heroibus inter viros fortissimos potentissimosque habeatur temporis acti. [3]) Contra posteriorum temporum fama utrumque apud inferos versantem finxit crudelissimas poenas solventem — alterum, quod nefarie insidias paravisset Junoni, alterum quod cum Theseo ad inferos temere descendisset Proserpinam rapturus.

His praemissis videamus, quomodo fabula variata sit, postquam Theseae applicata est. Redeamus igitur ad Homerum.

In carminibus Homericis, ubi perexigua tantum fabularum Atticarum notitia extat, ne huius quidem fit mentio. Invenitur quidem locus, quo amici apud inferos versantes commemorantur, in Odysseae Necyia v. 631:

Θησέα Πειρίθοόν τε θεῶν ἐρικυδέα τέκνα.

At hunc versum a Pisistrato Homero subditum esse iam a veteribus [4]) traditum est. De quo testimonio, quamvis eius auctor fuerit Hereas Megarensis, qui nihil antiquius habuit quam ut detrectaret Thesei gloriam, tamen in hac re non est cur dubitemus. [5])

Atque, ut pro germano accipiamus hunc versum, minime indicaret poetam cognovisse hanc fabulam, cum simpliciter inter alios mortuos heroes illi quoque enumerentur. Ne ipse quidem

[1]) Suid. v. *Περιθοῖδαι.* Steph. Byz. *Φιλαΐδαι.* Harpocr. *Κοιρανίδαι.*

[2]) Müller, Orchomenos und die Minyer. 199.

[3]) Cf. Odyss. XXI. 296. Il. XIV. 318. I. 263. Hesiod. scut. 179. Müller, Orchomenos 198.

[4]) Plut. Thes. 20.

[5]) Cf. supra p. 9. Kirchhoff, die Homer. Odyssee [2] p. 233.

Pausanias, qui mentionem fecit huius versus, quidquam inde collegisse videtur nisi cognitam habuisse Homerum Thesei Pirithoique amicitiam. [1])

Hesiodum deinde celebrasse *ὡς Θησεὺς εἰς τὸν ᾅδην ὁμοῦ Πειρίθῳ καταβαίη* rursus Pausanias [2]) testatur. Nihil autem de hoc carmine constat neque, utrum omnino peculiare carmen fuerit an maioris carminis pars scimus. [3])

Praeterea fabulam de amicorum descensu invenimus in carmine, quod Minyadis nomine inscriptum erat. Perpauca sunt, quae de hoc carmine comperta habemus, quo fere nullum epicum poema magis involutum obscuritate latet. Id unum satis constat auctore Pausania [4]) ut Odysseam et Nostos ita hoc quoque carmen continuisse Necyiam. Inter alias umbras commemorantur Theseus et Pirithous duobus a Pausania servatis versibus hisce:

ἔνθ᾽ ἤτοι νέα μὲν νεκυάμβατον, ἣν ὁ γεραιὸς
πορθμεὺς ἦγε Χάρων, οὐκ ἔλλαβον ἔνδοθεν ὅρμου.

Quae quidem recte Welckerus [5]) explicuit: ‚Dies erklärt sich, wenn man annimmt, dass Theseus und Pirithous, als sie die Persephone entführen wollten, von Hades zurückgeschlagen und verfolgt dem kahne zueilten, um sich zu retten, ihn am ankerplatz nicht fanden, eingeholt und zurückgebracht und auf den sitz gebannt wurden: für die flüchtlinge und die beabsichtigte entführung die rechte strafe.‘

Num in hoc carmine Theseum iam finxerit poeta ab Hercule liberatum, quod Welckerus suspicatus est, ignoramus. Si vero ex Polygnoti celeberrima de Plutonis pallido regno pictura aliquid colligi licet, potius contrarium aliquis sibi persuadeat. Certe in eius amicorum vinctorum repraesentatione nihil est, quo indicet se Theseum ad superos rediturum pingere voluisse. [6]) Atque cum Minyadem poesin ante oculos habuisse videatur teste Pausania [1]) Polygnotus, sane haud immerito aliquis statuerit huius carminis auctorem genuinam quandam fabulae formam servasse, quae Theseum eodem modo atque Pirithoum in aeternum apud inferos retineri doceret. Quae quidem mox per Athenienses ita in oblivionem venit, ut fere omnia eius vestigia interierint. Diodorus [2]) quosdam mythographos commemorat, qui neutrum inde reversum esse tradiderint et solus inter poetas Vergilius hanc fabulam secutus est his verbis:

sedet aeternumque sedebit
Infelix Theseus ..... (Aen. VI. 617.)

Eam quae in omnium ore versabatur famam de Pirithoo aeternas poenas solvente deque Theseo per Herculem ex inferis liberato primus, quantum scimus, Panyasis in Heraclea celebravit. De quo Pausanias (l. c.): *Πανύασις ἐποίησεν, ὡς Θησεὺς καὶ Πειρίθους ἐπὶ τῶν θρόνων παράσχοιντο σχῆμα οὐ κατὰ δεσμώτας, προσφυὲς δὲ ἀπὸ χρωτὸς ἀντὶ δεσμῶν σφίσιν ἔφη τὴν πέτραν.* Panyasis igitur eadem narrasse videtur quae Apollodorus [3]): Herculem Cerberum petiturum ad inferos se contulisse ibique Theseum Pirithoumque repperisse saxo fixos. Qui cum eius fidem implorassent, Theseum quidem vi Herculis e saxo avulsum esse, Pirithoum relictum, cum ipse Pluto ira de Herculis audacia commotus terram quateret. Itaque Panyasis nisi inventor huius fabulae primus tamen fuit, quantum nos scimus, qui eam proferret, quae deinde, cum optime quadraret in Herculis, qualis erat in plebis animo, personam robustam et ferocem omnes alias narrationes obscuravit atque in omnium ore versabatur.

Cum in lyricorum operibus, quae quidem servata sunt, nulla huius fabulae mentio fiat, statim ad tragicos transire licet poetas.

Ac primum quidem spectanda est Euripidis Hercules. Quod ex tota fabula Thesea cognoscere possumus, quantum id enisi sint et contenderint Athenienses, ne ullo modo heros gentilis inferior esset Doriensium Hercule, ex hac quoque tragoedia Euripidea facile intellegi potest. Hercules enim ab inferis reversus ubi Theseum vinculis solvit, Thebas in patriam redit eamque invenit in dicione

[1]) Paus. X. 29. 4: *Θησέως δὲ καὶ Πειρίθου τὴν λεγομένην φιλίαν ἐν ἀμφοτέροις ἐδήλωσεν Ὅμηρος ταῖς ποιήσεσι.* sequuntur versus.

[2]) Paus. IX. 31. 4.

[3]) Cf. Marckscheffel p. 158/59.

[4]) Pausan. X. 28. 1.

[5]) Welcker, ep. cycl. I. p. 242.

[6]) Petersen, Theseus und Peirithoos. archaeol. zeitung. XXXV. Berl. 1878. p. 120.

[1]) Pausan. X. 28. cf. Welcker in: archaeol. zeitung, herausg. v. Ed. Gerhard, Berl. 1843 p. 178.

[2]) Diod. IV. 63.

[3]) Apollod. II. 5. 12.

Lyci cuiusdam, qui rerum potitus Megaram Herculis uxorem eiusque liberos graviter premit vexatque. At iusto tempore auxilium afferens illi interitum parat suosque incolumes reddit. His quidem Euripides vulgarem fabulam secutus est. Sed ut Theseus debere aliquid desineret Herculi neque obnoxius illi sed amicissimus opponeretur, inde fabulam mutavit. Finxit enim tunc[1]) Junone auctore in furorem Herculem incidisse et mente captum uxorem liberosque necasse. Deinde in sanitatem reversus in summa desperantia versatur. Qua fictione Theseo occasio datur, ut debitum solvat. Occurrit enim iusto tempore cum exercitu auxilium laturus in Lycum atque, cum hoc supervacaneum sit, nihilominus:

τίνων δ' ἀμοιβὰς ὧν ὑπῆρξεν Ἡρακλῆς (1160)

consolatus eum et a caede voluntaria revocatum (1247) secum ducit Athenas ibique facinore expiatum[2]) restituit.

Deinde extabat drama, cui titulus inscriptus erat Pirithous, de quo iam veterum variabant sententiae docente Athenaeo[3]), utrum Euripidi an Critiae tyranno tribuendum esset. Neque quae a veteribus de argumento huius tragoediae tradita sunt[4]) inter sese consentiunt. Duo tantum omnibus, qui hanc tragoediam commemorant, conveniunt — alterum: non solum Theseum verum etiam Pirithoum cum Hercule ad superos rediisse, alterum eos ab Hercule liberatos esse non vi ac violentia sed venia a Plutone data.[5])

Quod quidem num huius dramatis auctor primus missam fa-

[1]) Alii alio tempore eum insanivisse dicunt. cf. Klotz, Herc. fur. praef. p. 7.

[2]) Alia quae de hac lustratione narrantur, videas ibid. p. 11.

[3]) Cf. Nauck, fg. tragicor. p. 432. fg. 595.

[4]) Cf. Nauck ibid. p. 431. id. Eurip. tragoedd. rec.³ III. p. 159.

[5]) Id quod Wilamowitzius (qui tribuit hanc fabulam Critiae) argumentum fuisse censet Gregor. Corinth. secutus (analecta Euripidea p. 168), mihi quoque placuit, cum facile fieri posset, ut drama huius argumenti Euripidi tribueretur. Nam quod eius summum est: (*Πειρίθους ἐπὶ Περσεφόνης μνηστείαν εἰς Ἅιδου καταβὰς τιμωρίας ἔτυχε τῆς πρεπούσης....) Θησεὺς δὲ τὸν φίλον ἐγκαταλιπεῖν αἰσχρὸν ἡγούμενος (ἑκὼν εἶχε τὴν ἐν Ἅιδου ζωήν)....* Euripideam sententiam spirare non negabis comparatis Herc. versibus, quibus Theseus dicit (v. 1223 sqq.)

χάριν δὲ γηράσκουσαν ἐχθαίρω φίλων
καὶ τῶν καλῶν μὲν ὅστις ἀπολαύειν θέλει
συμπλεῖν δὲ τοῖς φίλοισι δυστυχοῦσιν οὔ.

ciens fabulam vulgarem feliciter novaverit, pro certo sciri nequit. Id autem maxime probabile est tragicos omnino famam de Theseo avulso repudiasse, cui inest nescio quid rude et incultum, quaeque plebis quidem iudicio valde arrisit nec non quadrat in mores comicorum iocosos[1]), sed a tragoediae severitate et gravitate vehementer abhorret. Certe si iam antea eiusmodi dramata in scaenam protulerant, alio modo in libertatem restitutum finxerant Theseum.

Ceterum inter reliquos poetas tragicos ab Achaeo tantum Euripidis obtrectatore compositam fuisse scimus Pirithoum.[2]) Quamvis de argumento huius dramatis nihil constet, id tamen pro certo affirmari debet poetam ignorasse fictionem de utroque per Herculem liberato amico. Etenim omnes[3]), qui novam hanc fabulae formam commemorant, adicere non omittunt Euripidi eam tribuendam esse, ita ut verisimile sit, alios qui operam dederint huic fabulae poetas praetulisse vulgarem de solo Theseo liberato opinionem.

2. De Helenae raptu.

Vulgaris de Helenae raptu fabula[4]) est haec: Theseus et Pirithous Jovis filias uxores sibi ducturi Helenam e Lacedaemone rapuerunt, raptamque Aethrae matri Aphidnis custodiendam Theseus tradidit, dum ipse cum Pirithoo amico apud inferos peregre abesset Proserpinam illi rapturus. Dum hoc fit, Dioscuri Helenae fratres Aphidnis expugnatis Helenam Aethramque Lacedaemonem reportarunt. Postea, cum Helena Paridem sequeretur, Aethram servae loco secum duxit, quae ipsa Troia deleta per Demophontem et Acamantem Thesei filios in libertatem redacta est.

Jam in Homericis carminibus duo versus, quibus significatur haec fabula, leguntur. Etenim in Il. III. versu 144 sqq. Helena ad inspiciendum Graecorum exercitum domum relinquit

οὐκ οἴη, ἅμα τῇγε καὶ ἀμφίπολοι δύ' ἕποντο
Αἴθρη Πιτθῆος θυγάτηρ Κλυμένη τε βοῶπις.

[1]) Cf. Suid. s. v. *λίσποι.* Schol. Aristoph. equitt. 1368.

[2]) Nauck, fgg. tragic. p. 585.

[3]) Excepto solo Diodoro IV. 26. Sed idem aliter IV. 63.

[4]) Cf. Hellan. in schol. Il. III. 144. Apollod. III. 10. 7. Plut. Thes. 31 sqq. Schol. Apollon. I. 101.

Qui quidem versus, si genuini essent, poetam ostenderent iam totam, quam modo narravimus, fabulam compertam habuisse, sed ab ipsis veteribus Plutarcho auctore [1]) in suspicionem vocati sunt. Habemus praeterea hoc scholium: *ἑτέρα τῆς Θησέως μητρός ἐστιν αὕτη ἡ Αἴθρα· αἰσχρὸν γὰρ ὑπάρχει θεραπαίνης τρόπῳ ἀκολουθεῖν τῇ Ἑλένῃ τὴν Αἴθραν ἐκυρὰν νομισθεῖσαν* [2]) aliudque simile: *εἰ μὲν τὴν Θησέως λέγει μητέρα ἀθετητέον· ἀπίθανον γάρ ἐστιν Ἑλένης ἀμφίπολον εἶναι τὴν οὕτως ὑπεραρχαίαν, ἣν οὐκ ἐκποιεῖ ζῆν διὰ τὸ μῆκος τοῦ χρόνου κ. τ. λ.* Haec quidem quam vana sint quamque nihil efficiant ad damnandos illos versus luce clarius est neque oportet longius exponam.[3]) Nihilo setius scholiastis concedendum videtur postea additos esse hos versus. [4])

Praeter Ariadneam haec fabula prima inter Theseas fuit, quae ab epicis poetis celebraretur. Neque mirandum est; nam cum Ionica gens auctoritate opibusque valere coepisset, poetae certe nihil antiquius habuerunt, nisi ut illis quoque laudes Troianas, quibus e Graecorum opinione nihil praeclarius erat nihil pulchrius vindicarent. Unde factum est, ut ex fabulis Theseis eam imprimis, quae Troiam spectabat, celebrarent.

Arctinus igitur et Lesches in carminibus suis commemorabant Aethram per nepotes in libertatem redactam. De altero quidem Proclus in argum. Il. Pers. [5]) dicit: *Δημοφῶν δὲ καὶ Ἀκάμας Αἴθραν εὑρόντες ἄγουσι μεθ᾽ ἑαυτῶν.* Quibus accedit schol. Euripideum (Troad. 31.): *μηδὲν γὰρ εἰληφέναι τοὺς περὶ Ἀκάμαντα καὶ Δημοφῶντα ἐκ τῶν λαφύρων ἀλλὰ μόνην τὴν Αἴθραν, δι᾽ ἣν καὶ ἀφίκοντο εἰς Ἴλιον Μενεσθέως ἡγουμένου. Λυσίμαχος δὲ τὸν τὴν Περσίδα πεποιηκότα φησὶ γράφειν οὕτως·*

Θησειδῇσι δὲ δῶρα πόρε κρείων Ἀγαμέμνων
ἠδὲ Μενεσθῆι μεγαλήτορι ποιμένι λαῶν. [6])

---

1) Plut. Thes. 34.

2) Cf. Schimberg, anal. Aristarch. p. 35 sq.

3) Cf. Welcker, ep. cycl. II. p. 259. 60.

4) Cf. Nägelsbach, anmerkungen zur Ilias p. 369 sq.

5) Cf. Kinkel p. 50.

6) Menestheus, qui hic secundo loco nominatur apud Homerum (Il. II. 552) exercitui Atheniensium praeest. Eo magis apertum est totam hanc fabulam Homero recentiorem esse.

Similia narravit Lesches. De quo Pausanias (X. 25. 3): *Λέσχεως δὲ ἐς τὴν Αἴθραν ἐποίησεν, ἡνίκα ἡλίσκετο Ἴλιον, ὑπεξελθοῦσαν ἐς τὸ στρατόπεδον αὐτὴν ἀφικέσθαι τὸ Ἑλλήνων καὶ ὑπὸ τῶν παίδων γνωρισθῆναι τῶν Θησέως, καὶ ὡς παρ᾽ Ἀγαμέμνονος αἰτῆσαι Δημοφῶν αὐτήν· ὁ δὲ ἐκείνῳ μὲν ἐθέλειν χαρίζεσθαι, ποιήσειν δὲ οὐ πρότερον ἔφη πρὶν Ἑλένην πεῖσαι. ἀποστείλαντι δὲ αὐτῷ κήρυκα ἔδωκεν Ἑλένη τὴν χάριν.* [1])

Priusquam relinquamus epicos poetas, de duobus versibus disseramus necesse est, quos servavit Plutarchus in Thesei capite 28.

τὸν ἐν εὐρυχόρῳ ποτ᾽ Ἀφίδνῃ
μαρνάμενον Θησεὺς Ἑλένης ἕνεκ᾽ ἠϋκόμοιο
κτεῖνεν.

nempe Alycum Scironis filium, qui cum Tyndaridis fratribus ad recuperandam Helenam illuc profectus erat. Singularis enim fabulae forma in his versibus latet, qui Aphidnas expugnatas Helenamque et Aethram abductas docent ipso Theseo praesente.

Atque Plutarchum talem fabulae formam non comprobasse apparet ex eius verbis quae addidit: *οὐ μὴν εἰκὸς αὐτοῦ Θησέως παρόντος ἁλῶναι τήν τε μητέρα καὶ τὰς Ἀφίδνας.* Neque omnino huius fabulae mentio fit ullo alio loco nisi apud Pausaniam.[2]) Ab Megarensibus enim se audivisse refert Timalcum Megarei regis filium cum Castore et Polluce ad expugnandas Aphidnas venisse ibique a Theseo necatum esse. Simul autem adnotavit: *ἀλλὰ γὰρ τὸν ὄντα λόγον οἱ Μεγαρεῖς εἰδότες ἐπικρύπτουσιν.*

Quid igitur? Num haec fabula de Aphidnis Theseo praesente expugnatis Megarensium propria est [3]) fictaque posteriore tempore, cum intercederent inimicitiae eis cum Atheniensibus? Nos e contrario putamus vetustam et genuinam hanc fabulam esse eamque quae extiterit prius, quam Pirithoi persona in eam translata sit.

---

1) Posteriores continuaverunt hanc fabulam ita, ut Acamanta narrarent, cum ante Troiam versaretur, rem habuisse cum Laodice filia ex eaque suscepisse Munitum filium, quem postea in patriam reversa secum duxisset Aethra. Quam praecipue celebraverunt Alexandrini. cf. Meineke, anal. Alex. p. 97. 319. Plut. Thes. 34. — Acamas inter eos, qui in ligneum illum equum se abdiderant ad expugnandam Troiam, enumeratur a Vergilio Aen. II. 262. cf. Pausan. I. 23. 8.

2) Pausan. I. 41. 4 sqq.

3) Quod putare videtur Prellerus II.[3] p. 114.

Jam enim Stephanius[1]) monuit distinendas esse duas fabulas, alteram de Castoris Pollucisque in Atticam expeditione atque pugna cum Theseo commissa; alteram de Thesei Helenaeque necessitudine. Facile enim apparet in antiquissima fabula non amorem fuisse, qui Theseum, ut Helenam raperet, impulerit. Jam eo quod fere omnes[2]) qui hunc raptum commemorant, Helenam, cum raperetur per Theseum, nondum fuisse puellam maturam referunt, intellegi potest sine negotio primitus hanc famam non inter res amatorias Thesei habitam fuisse. Quod confirmatur duabus huius fabulae formis, quas Plutarchus[3]) servavit quaeque ex eius quidem sententia recentiores fictiones, re vera autem, recte docente Stephanio, vetustiores formae sunt. Quarum altera narrat Theseum Helenam per Idam Lynceumque raptam custodiendam accepisse, altera eaque vetustissima per ipsum Tyndareum patrem, quippe qui timeret, ne Enarsphorus illam adhuc impuberem in coniugium sibi posceret, Theseo traditam esse.

Iure igitur Stephanius coniecit alteram fuisse fabulam de Helena Theseo a Tyndareo data, alteram de bello cum Dioscuris gesto. Quae quidem certe historico fundamento non caret, neque in obscuro latet, quae fuerit huius belli propria causa. Nam quod fabula docet[4]) Dioscuros, cum in Atticam irrumperent, Erechthidis se coniunxisse, ab initio hanc fabulam nihil aliud significasse elucet quam seditionem ab Erechthidis in novum Ionum regimen excitatam et Dorica quadam gente adiutam.

Ex quibus postea commixtis facile oriri potuit ea, quae versibus supra citatis subest, fabula: Theseum, postquam rumore perceperit de Helenae eximia pulchritudine, eam rapuisse belloque Dioscuris inferiorem rursus amisisse. Deinde autem eodem sane sensu quo Plutarchus *οὐκ εἰκὸς εἶναι* praesente Theseo Aethram Helenamque abduci, finxerunt Athenienses eo tempore, quo bellum gereretur, fuisse Theseum apud inferos cum Pirithoo.

Hoc loco quaestio nascitur, ex quo carmine versus, a quibus exorsi sumus, originem duxerint.

---

1) Stephani p. 13.
2) Locos eo pertinentes contulit Stephanius l. c.
3) Plut. Thes. c. 31.
4) Plut. Thes. c. 32. Pausan. I. 17. 6. III. 18. 3.

Quod Bergkius[1]) censuit procul dubio e Theseide aliqua sumptos esse, equidem haud ita certe affirmaverim. Mihi enim non verisimile videtur in carmine ad celebrandas Thesei res gestas et laudandas eius virtutes composito fabulam insertam fuisse, quae Theseum describeret Tyndaridis inferiorem, quaeque, ut vidimus, Megarensium quidem in ore servaretur, ceterum mox[2]) oblivione obruta sit. Potius igitur crediderim ex carmine aliquo in Tyndaridarum gloriam scripto haustos esse versus. Nam in eiusmodi poemate facilius certe fieri potuit, ut poeta fabulam, quae victoriam illorum de Theseo reportatam descripsit, proferret. Sed propter *ποτέ* vocabulum veri simillimum videtur versus illos ad primarium carminis argumentum omnino non pertinuisse.

Inter lyricos, ad quos nunc aggredior, poetas primus Stesichorus[3]) hanc fabulam tractavit idemque primus, quantum scimus, ita mutavit, ut Theseum uxorem sibi non immaturam puellam rapuisse fingeret. Ortam enim esse narravit e Thesei Helenaeque connubio Iphigeniam filiam, quam Helena mater, postquam gravida reportata sit a fratribus Lacedaemonem, tradiderit Clytaemnestrae Agamemnonis uxori.

Cui hanc notitiam debemus, Pausanias ex ore Argivorum hanc fabulam narravit. Atque, si re vera propria est Argivorum haec fabula, illi fortasse simili modo quo Athenienses omnia, quae Theseo turpia erant, negabant, ad eam fingendam perducti sunt. Itaque, ni fallit coniectura, Argivi diram de mactata per ipsum patrem Iphigenia famam eo mitigare conati sunt, ut fingerent non suam sed spuriam Thesei filiam immolasse Agamemnonem.

Sequitur Alcman, qui hymnum in Dioscuros composuit, in quo hanc materiam tractavit. Narravit enim[4]) servata fabulae forma vulgari absente Theseo Aphidnas defensas esse per Aphidnum regem ab eoque Castorem vulneratum esse.[5])

---

1) Bergk, poet. lyr.[3] Diphilus.
2) Theseides pleraeque posteriori aetati tribuendae sunt. cf. Jahn, arch. beitr. p. 272.
3) Pausan. II. 22: *καὶ ἐπὶ τῷδε Εὐφορίων Χαλκιδεὺς καὶ Πλευρώνιος Ἀλέξανδρος, πρότερον δὲ ἔτι Στησίχορος ὁ Ἱμεραῖος κατὰ ταὐτά φασιν Ἀργείοις Θησέως εἶναι θυγατέρα Ἰφιγένειαν.* cf. Meineke, anal. Alex. p. 104.
4) Pausan. I. 41. 5.
5) Schol. Il. III. 242.

Denique in has partes vocandi sunt versus nonnulli, qui in Theognideis carminibus leguntur.

Σχέτλι᾽ Ἔρως μανίαι σ᾽ ἐτιθηνήσαντο λαβοῦσαι·
ἐκ σέθεν ὤλετο μὲν Ἰλίου ἀκρόπολις,
ὤλετο δ᾽ Αἰγείδης Θησεὺς μέγας, ὤλετο δ᾽ Αἴας
ἐσθλὸς Ὀϊλιάδης σῇσιν ἀτασθαλίαις. [1])

Quos quidem ad eam, de qua agitur, fabulam spectare recte iudicasse mihi videor, atque immerito Prellerum [2]) hos versus ad fabulam Amazonicam referre existimo. Etenim Antiopa Theseum invasisse quidem dicitur, cum Phaedram uxorem duceret, simul vero ab Hercule necata interiisse [3]). Itaque, quo iure de hac fabula cogitaverit Prellerus, non intellego neque video, quomodo aliter nisi de Helena hi versus explicari possint.

Dicit autem poeta Theseo perniciei fuisse amorem. Itaque in animo habuisse mihi videtur hanc fabulam: Theseus propter Helenam raptam a Tyndaridis bello implicatus vincitur ita quidem, ut a plebe de hac clade irata in exilium ire cogatur.

Quod primum ad Theseum per Tyndaridas victum attinet, sufficient, quae supra disputavimus. Deinde Theseum in exilium se contulisse metuentem ob Helenae raptum cum multis aliis de Thesei exilio Tzetzes [4]) prodidit, atque plebi non gratum fuisse hunc raptum ab aliis quoque traditur. [5])

Iure igitur possumus statuere Helenae raptum et bellum infeliciter gestum in antiqua fabula fuisse causas, quibus permotus Theseus in exilium iret ad Lycomedem regem Scyrum in insulam. Ubi cum ad vitae finem pervenerit, recte poeta dicere potuit amore perniciem sibi paravisse Theseum.

Apud scaenicos poetas huius fabulae nulla fit mentio eaque omnino (nisi quod apud Alexandrinos rursus prodiit) e Graecorum poesi abiit sine dubio obscurata simili de rapta Antiopa seu Hip-

---

[1]) Bergk, poet. lyr. II.[3] p. 559.

[2]) Preller II [3] p. 300.

[3]) Plut. Thes. 28: *Ἦν γὰρ ὁ τῆς Θησηίδος ποιητὴς Ἀμαζόνων ἐπανάστασιν γέγραφε, Θησεῖ γαμοῦντι Φαίδραν τῆς Ἀντιόπης ἐπιτιθεμένης καὶ τῶν μετ᾽ αὐτῆς Ἀμαζόνων ἀμυνομένων καὶ κτείνοντος αὐτὰς Ἡρακλέους κ. τ. λ.*

[4]) Tzetz. ad Lycophr. v. 1324.

[5]) Diod. II. 63.

polyta Amazone fama, quae deinde inter fabulas Theseas primarium obtinuit locum. Unde etiam factum est, ut perpaucae de Helena per Theseum rapta repraesentationes extent eaeque ita comparatae, ut necessario ad hanc fabulam referri non debeant. [1])

---

[1]) Cf. Brunn: Ratto di Donna in: annali del instituto 1847 p. 341 sq. Ea fabulae pars, quae ad Dioscuros Aethramque spectat ut poetis ita artificibus quoque priore iam tempore materiam praebuit. Pausania teste (V. 19. 1) Cypseli arcae (cf. Overbeck, gesch. d. griech. plastik I.[2] p. 62 sqq.) insculpti erant *Διόσκουροι ὁ ἕτερος οὐκ ἔχων πω γένεια, μέση δὲ αὐτῶν Ἑλένη· Αἴθρα δὲ ἡ Πιτθέως ὑπὸ τῆς Ἑλένης τοῖς ποσὶν εἰς ἔδαφος καταβεβλημένη μέλαιναν ἔχουσά ἐστιν ἐσθῆτα. ἐπίγραμμα δὲ ἐπ᾽ αὐτοῖς ἔπος τὸ ἑξάμετρον καὶ ὀνόματός ἐστιν ἑνὸς ἐπὶ τῷ ἑξαμέτρῳ προσθήκη·*

Τυνδαρίδα Ἑλέναν φέρετον Αἴθραν τ᾽ Ἀθάναθεν
ἕλκετον (cf. Bergk, poet. lyr. [3] Alcm. fg. 10.)

Vita.

Carolus Henricus Lotharius Volkmann Halensis natus sum anni h. s. LVIII die III° mensis Augusti patre Ricardo matre Minna e gente Gebhardt, quos superstites valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicorum. Primis clementis, quibus aetas puerilis informari solet, imbutus sum Pyritziae Pomeraniae in oppidulo nec non Javoriae, quam in urbem Silesiacam pater meus transmigraverat imperium suscepturus gymnasii ibi condendi. Quam scholam, quae adhuc floret auspiciis patris carissimi, cum frequentassem novem per annos, maturitatis testimonio instructus anni h. s. LXXVI paschali tempore Halas in patriam redii, ibique per septem semestria operam dedi studiis philologicis et theodiscis. Docuerunt me praecipue vv. dd. Dittenberger, Gering, Haym, Heydemann, Hiller, Keil, Kramer, Zacher. In seminarium reg. philologicum receptus per duo semestria sodalis ordinarius, per unum senior fui. Nec non seminarii paedagogici, cui praeest Kramerus, per duo semestria sodalis fui ordinarius. Praeterea Keilius et Dittenbergerus benigne permiserunt, ut societatibus philologicis, Heydemannus, ut exercitationibus archaeologicis, Zacherus et Geringius, ut theodiscis, Haymius, ut philosophicis interessem. Quibus viris doctissimis optime de me meritis gratias ago quam maximas.

Sententiae controversae.

I.

Soph. Trachin. v. 910 legas:
(αὐτὴ τὸν αὑτῆς δαίμον᾽ ἀνακαλουμένη)
καὶ τῆς ἀραίας (cod. *τὰς ἄπαιδας*) *ἐς τὸ λοιπὸν ἑστίας* (cod. *οὐσίας*).

II.

Soph. O. C. v. 1436 ab histrione aliquo interpolatus est.

III.

Horatium c. III. 20 non de puella Nearchum amante sed de matre Nearchum ab amatorum iniuriis tuente locutum esse optime intellexit Franciscus Ritter.

IV.

Heliod. Aethiop. X. 17: *καὶ ταῦτα εἰπὼν ὁ μὲν ἐπέβαλε τῇ Χαρικλείᾳ τὰς χεῖρας ...... τὴν ἐπιτυχίαν τῶν ἐνεδρευμένων τῇ δημηγορίᾳ λόγων ἀπευχόμενος.* legendum est *ἐπευχόμενος.*

V.

Num Ulfilas aliter scripserit atque pronuntiaverit dubitaverim.